



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

Quod Dei voluntas summe bona causa est omnium, quæ naturaliter sunt:
cuius causa non est quarenda, quia prima & summa causa est omnium. D.

E

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

sensus, Deus scit omnia, id est, Deus est cuius scientiæ quæ ipsius essentia est, omnia subiecta sunt. Similiter Deus vult hæc illa, id est, Deus est cuius voluntati quæ ipse est, hæc siue illa subiecta sunt. Volens ergo siue velle dicitur Deus secundum essentiam, cuius voluntas essentia est sempiterna & immutabilis (licet ea varientur & transeant, quæ ei subiecta sunt) quæ non potest esse iniusta vel mala, quia Deus est.

Quod Dei voluntas summe bonæ, causa est omnium quæ naturaliter sunt: cuius causa non est querenda, quia nullam habet cum sit æterna.

Hæc itaque summe bonæ voluntas, causa est omnium quæ naturaliter fiunt, vel facta siue futura sunt: quæ nulla præuenta est causa, quia æterna est. Ideoque causa ipsius querenda non est. Qui enim eius causam querit, aliquid maius ea querit, cum nihil ea maius sit. Vnde Aug. in lib. 83. quæst. Qui querit quare voluerit Deus mundum facere, causam querit voluntatis Dei. Omnis autem causa efficiens maior est eo quod efficitur. Nihil autem maius est voluntate Dei. Non ergo eius causam querenda est. Idem in lib. contra Manich. Si qui dixerint, quid placuit Deo facere cælum & terram? Respondendum est eis, qui voluntatē Dei nosse desiderant, causas & voluntatē Dei scire querunt, quod voluntas Dei omnium quæ sunt ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas, est aliquid quod antecedit voluntatē Dei: quod nefas est credere. Qui ergo dicit, quare fecit Deus cælum & terram? Respondendum est illi, quia vult. Voluntas enim Dei causa est cæli & terræ: & ideo maior est voluntas Dei, quam cælum & terrā. Qui autem dicit, quare voluit facere cælum & terrā? maius aliquid querit, quā est voluntas Dei, nihil autē maius inueniri potest. Compescat se ergo humana temeritas, & id quod non est, non querat. ne id quod

*Hic dicti
quæ e eius
causa que-
renda non
est.*

*Quæst. 28.
in princip.
In tom. 4.*

*Aug. ad fi-
nem cap. 2.
lib. 1 de Ge-
nesi, contra
Manichæos.
Tom. 1.*

quod est, non inueniat. Ecce his authoritatibus aperte insinuatur, quod voluntatis Dei causa nulla est, & ideo quaerenda non est.

Quod voluntas Dei prima, & summa causa est omnium.

E

Voluntas ergo Dei, ut ait August. in 3. lib. de Trinit. prima & summa causa est omnium specierum atque motionum. Nihil enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabile iustitiam. Vbi enim non operatur quod vult Dei omnipotentis sapientia, quae pertingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & non solum facit ea, quae perseverantia consuetudinis admirationem non admittunt, sed etiam ea quae propter raritatem, & insolitum euentum mira videntur: ut sunt defectus luminarium, & terrae motus, & monstriosi animantium partus, & his similia: quorum nihil fit sine voluntate Dei, sed plerisque non apparet. Ideoque placuit vanitati Philosophorum etiam causis aliis ea attribuere, cum omnino videre non possent superiorem caeteris omnibus causam, id est, voluntatem Dei. Itaque non nisi Dei voluntas causa prima est sanitatis, & aegritudinis, praemiorum atque poenarum, gratiarum & retributionum. Hae ergo sola est, vnde ortum est quicquid est, & ipsa non est orta sed aeterna.

Quibus modis accipitur Dei voluntas.

F

Hic non praetereundum nobis, quod sacra scriptura de voluntate Dei variis modis loqui consuevit: & tamen non est Dei voluntas diuersa, sed locutio diuersa est de voluntate, quia nomine voluntatis diuersa accipit. Nam voluntas Dei vere ac proprie dicitur quae in ipso est, & ipsius essentia est: & haec vna est, nec multipliciter recipit, nec mutabilitate, quae inexplata esse non potest: de qua Propheta ait: Omnia quaecumque voluit Dominus,

R 3

fecit.

Cap. 4. in medio.

Sapient. 8. a.

Qua vere & proprie dicitur Dei voluntas, & ea dicitur beneplacitum.